Quelle: https://manuscripta.at/?ID=30611
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Celu. Palpebre. Calix. Vultus. Labia. Labrum. Ope enim dici. Pedes. Tabnaculu. Funes. Pupilla. Catuli. Diligo. Ignis. Fons. Cervi. Cerota. Carbo. Caligo. Grando. Bellu. Dorsum. Lutu. Sponsus. Thalamus. Fauus. Clybanus. Theos. Obsidio. Vitulus. Framea. Virga. Baculus. Mense. Erubescere. Ridere. Via. Semita. Delictu. Mansueti. Altare. Castrum. Prelium. Facies. Cor. Caro. Aries. Atrium. Unicornis.

Celum quod quasi celatum vas impressum lumina habeat stellarum veluti signa. Nam celatum vas dicitur quod signis eminentioribus refulget. vel celum a celando quod que super sunt celat. Palpebre sunt sinus oculorum a palpitando dicte quia semper moventur. Calix dictus quod semper calidam potionem soleat suscipere. Vultus est eo quod in illo voluntas animi ostenditur. secundum eorum voluntatis enim varios motus vultus mutatur. Labia a labendo dicta. sed superius labium. inferius labrum dicitur. quod grossius est. Inops quasi sine terra est. Opem enim terram intelligimus. quia opem fert fructificando. Alii inopem dicunt non sepultum. Pedes ex greca ethymologia nomen sortiti sunt. Pes enim grece podas dicitur. Tabernaculum ex duobus nominibus componitur hoc vocabulum. id est ex taberna et cenaculo. Funes a funibus dicti sunt. quod in modum cereorum olim ante cadavera incendebantur. Pupilla est medius punctus oculi in qua vis est videndi. dicta quod sit pura et impulta. Catuli abusive dicuntur quarumlibet bestiarum filii. Nam proprie catuli canum sunt per diminutivum dicti. Diligo quasi de omnibus eligo. Ignis dictus quod nichil gigni possit ex eo. Fons a fundendo aquas dicitur. Cervi dicti apo tou ceron. id est a cornibus. Cerota enim grece cornua dicuntur. Carbo dicitur quod careat flamma. Caligo est de spissitudine aeris umbra. dicta quod maxime aeris gignatur colore. Grando quod formam eius granorum similitudinem habeat. Bellum cata antifrasin eo quod minime sit bonum. Dorsum quod sit durior ~~pars~~ superficies corporis. Lutum per antifrasin. quod minime sit lotum. id est mundum. Sponsus a spondendo. Thalamum hac ex causa dictum ferunt. Cum sabine virgines rapte fuissent a romanis. et una ex illis egregia forma cetas animaret. clamatum est thalassio duci eam debere. Inde thalamo nomen inditum. Egyptum quoque lingua sua loca quibus nubentes succedunt et incubant thalamum vocant. Favus dicitur quia comedatur magis quam bibatur. Fave enim grece latine comede est. Hii in ceris et hii in equis. Duo apud antiquos erant genera triumphorum. unum maius in ceris quod laus recheum dicitur. aliud minus in equis quod optacio nuncupatur. Clybanus est coquendis panibus eneum vasculum in clivum deducta rotunditas. quod in subvertentibus flammis ardet intrinsecus. Theos sermo grece est. quod latine interpretatur timor. Obsidio dicta quasi ostium insessio. Vitulus a viriditate. id est etate viridi sicut virgo. Framea synonimum nomen est: significans hastam sive gladium seu quelibet arma. Framea dicta quia ferrea est. Ipsa est et romphea. Virga a virtute quod vim in se multam gerat. vel a viriditate vel quia pacis indicium est. Baculus a bacho repertore vitis fertur inventus. cui homines moti a vino inniterentur. Mense ab esu et comesu dicte. Erubescere est repentina animi perturbatione confundi. subitoque aliud respicere quam credebatur evenire. Ridere benigne et videre adultum est. Via a vehendo. Semita quasi semis via. quia angusto calle dirigitur. Delictum quidam voluerunt esse levius quam peccatum. dictum ab eo quod viam relinquit equitatis. non tamen in summa eminenti videtur pravitate. Mansueti quia manui assueti. Altare ab altitudine quasi alta ara. Castrum antiqui dicebant oppidum loco altissimo situm. quasi casa alta. cuius diminutivum castellum. Prelium a premendo hostem. unde et prelum lignum quo uva premitur. Facies dicta ab effigie. Ibi est enim tota figura hominis et uniuscuiusque persone cognitio. Cor a greca derivatione appellatum. quod illi cardian dicunt sive a cura. In eo omnis sollicitudo et scientie causa manet. Caro dicitur quod creatur. Aries apo tou areos. id est a marte. sive quod hic pecus a paganis primum aris ymmolabatur. sive aries quasi a fronte ruens. Atrium dictum a tribus quo addebantur ei tres porticus extrinsecus. Alii atrium quasi ab igne atrum dixerunt. Atrum enim fit ex fumo. Est autem atrium ampla et spatiosa domus. Unicornis eo quod unum cornu pedum. IIII. in media fronte ita habet validum. ut quicquid impetierit aut ventilet aut perforet. Grece monoceron sive rinoceron. latine in nare cornu. Sepe enim elephantis certamen habet. et inventum vulneratos prosternit. Est autem tante fortitudinis ut nulla venantium virtute capiatur. sed ut asserunt virgo puella ponitur. que venienti sinum aperit in quo ille